



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

§. 3. De peregrinis & forensibus an teneantur legibus loci qua transeunt?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

14 Infero quod, non licere tibi pellicere ad copulam ebrios & perpetuo amentes, neque pueros carentes rationis vbi, quia illa actio est de se omnibus illis prohibita, esto ob defectum rationis, & discursus, culpae illis non imputetur. Qui vero dicentur pueros non septennes nullis legibus etiam naturalibus teneri? consequenter debent affirmare, consuetudo horum congressum non esse de se malum, sicuti non est malum belluas coniungere. Quapropter nos diximus, etiam ad legum transgressionem, & peccato excusatur, dum rationis usum non habent, non tamen eximi à legibus, sed leges naturales cum ipsis, ut ipse rationis capaxibus, loqui.

§. III.

De peregrinis, & forensibus an teneantur legibus loci, qua transeunt.

- 1 Forensis accedens animo ibi perpetuo manendi, legibus illius loci tenetur statim.
- 2 Idem iuris est, si maiori anni parte intendas ibi commorari.
- 3 Legibus statutibus solemnitate in contractibus teneris.
- 4 Ab hac doctrina excipitur à Sanchez, & alii contractus dotales, sed non probatur eius exceptio.
- 5 Explicatur supradicta doctrina, & declaratur, ubi quis est conveniendus.
- 6 Teneris legibus loci, qua transeis, si eadem reges in tuo territorio.
- 7 Idem iuris est de legibus bonum speciale civitatis respectibus.
- 8 Idem de legibus iuris communis, tamen si in tuo territorio vigorem non habeant ex consuetudine recepta.
- 9 Proponitur obiectio, & solvitur.
- 10 Qui censens, & quomodo probetur extra supradictos casus, legibus loci, qua transeis, te debentur esse.
- 11 Probabilis existimo te obvari.
- 12 Limitant aliqui nostram sententiam, ut procedat de transitu cum aliqua perseverantia, sed repellitur.
- 13 Intelligenda est obligatio peregrinorum, tam quoad culpam quam quoad poenam.
- 14 Precedit resolutio, tamen si lex pro solis advenia lata esset.
- 15 Idem iuris est de sententia, & precepto, ac de statuto, & lege.
- 16 Delinquens in suo oppido si alio accedat, non potest à iudice illius loci puniri, quicquid dicat Basil. de Leon.
- 17 Satis sit argum. num. 10. allat.

**I**N hac re sunt aliqua, in quibus Doctores communiter conveniunt, alia in quibus est dissensio.

Primo conveniunt omnes forenses accedentes alicui loco animo ibi manendi in perpetuum, teneri statim legibus illius loci, quia tunc non est forensis, & peregrinus, sed incolae, ut pote, qui acquisivit domicilium, ratione cuius quis habetis est, ut tradit Farinacius 1. part. prax. q. 4. §. 7. n. 1. & ita tenet plures referens Sanchez lib. 3. de marr. disp. 18. num. 9. & lib. 1. in Decalog. cap. 12. num. 42. Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 14. n. 15. Salas disp. 14. §. 4. in princip. Lessius lib. 4. de iustit. cap. 2. dub. 7. num. 4. & alij referendi. Domicilium acquiritur eo ipso, quo quis incipit habitare aliquem locum animo ibi perpetuo manendi domicilium, ff. ad municipalem, & tradit glossa, & Sanchez plures referens lib. 3. de marrim. disp. 23. num. 2. Neque requiritur decennij habitatio, nisi ad praesumendum animam perpetuum: ut bene Sanchez numer. 1. & 2. Semel autem domicilio constituto non deperditur; nisi & habitatio, & animus ibi perpetuo manendi mutentur, quia cum utrumque, & habitatio, & animus ad domicilium constituendum concurrerunt, utrumque est necessarium ad illud amittendum: quia res per quascumque causas nascitur, per eas dissolvitur, cap. 1. de regulis iuris: ita relati Doctores. Neque audiendus est Ioan. Sanchez disp. 14. in select. num. 35. dicens, non acquiri domicilium, quousque maiori anni parte perseveret quis in voluntate illo in loco perpetuo manendi, quia gratis, & sine authoritate asseritur.

Secundo conveniunt communiter Doctores, si intendas maiori anni parte in aliquo loco commorari, sicuti solent scholastici in universitate studentes, sollicitatores in curia locantes operas ad longum tempus, teneris legibus illius, quia esto domicilium non fueris consecutus; consequenter tamen quasi domicilium: hoc enim dicitur assidua, & diuturna habitatio, ratione cuius potes conveniri, iuxta l. 1. in princip. ibi, & assidue versatur, Cod. ubi tenentores, vel alij clarissimi, & l. heres absenti, §. proinde, in fine, ff. de iudicis, & l. 1. Cod. ubi de crimine agi oportet, & ibi glossa verbo elegit, & tradit Titaequillus de retract. l. vna, §. 9. glossa. 2. num. 26. Farinac. supra n. 5. Thomas Sanchez lib. 3. cap. 23. num. 12. Item ratione quasi huius domicilij potes ibi recipere omnia sacramenta praeter ordinem, ordo enim excipitur, cap. cum nullus, de rem.

ordin. in 6. Item ibi est sepeliendus, nisi alibi eligas sepulchrum. Molin. de iust. tract. 2. disp. 214. vers. quando quis. Ergo absolute censeri subditus, & legibus illius loci obligatus: docet plures referens Sanchez lib. 3. de marrim. disp. 18. num. 9. Lessius lib. 4. de iustit. cap. 2. dub. 7. num. 47. Bonacia disp. 1. de legibus quas. 1. p. 6. num. 43. Basilius de Leon. lib. 3. de marr. cap. 7. §. 1. num. 4. quamvis non desint plures Doctores relati à Sanchez lib. 2. de marrim. disp. 18. num. 8. dicentes requiri animum perpetuo manendi, ut legibus, & consuetudinibus illius loci subdatis. Sed non videtur villo modo admitendum.

3 Tercio conveniunt Doctores teneri in contractibus servatae conditiones, & solemnitates à legibus illius loci, in quo contrahis, constitutas: quia ratione contractus foris forum, ibique ad standum, contractui poteris conveniri, ex cap. dilecti, cap. fin. de foro compet. l. quod si nolit, §. quia assidua, ff. de adlit. l. si heres absens, §. si quis tutelae ff. de iudic. & in nostro iure, l. 32. tit. 2. p. 3. docet plures referens Sanchez n. 10. & seq. Molina tract. 2. de iust. disp. 260. in fine. Basilius num. 21. Bonacia num. 51. Salas innotetos referens disp. 14. §. 4. n. 52. Quare si in contractu non fuerit solemnitas à lege locali praescripta, omnino est irritus, & nullus: ut tenet Felin. cap. 1. de sponsalib. num. 23. Bonacia, Salas, & alij supra. Hinc fit te teneri pretium mercibus signatum servare quia lex de pretio est, quae praecipue pertinet ad contractum. Item quia teneris acquiritur servare, quae maxime in pretio procedit. Deinde teneris solvere gabellam, vel aliud quodecumque onus contractui annexum, quia est pars contractus, vel accessorium illius. Quae omnia vera sunt, etiam si per epistolam, vel nuntium contractus celebratur, docet Felin. & Basilius supra.

4 Ab hac doctrina excipit Thomas Sanchez, Salas, Bonacia, Suarez de legib. cap. 33. num. 13. contractum dotalem, in quo dicitur non attendi solemnitates loci, in quo celebratur, sed loci, in quo vit habet domicilium, probantque ex leg. exigere ff. de iudic. ibi, mulier debet, ubi maritus domicilium habet, non ubi instrumentum dotale scriptum est. Verum haec exceptio mihi non probatur, sed absolute exitum contractum etiam dotalem, quoad iurum, & alia onera, & conditiones, fieri debere, iuxta leges loci, in quo celebratus est. Moveor, quia nullo iure videtur exceptio hic contractus: nam supradicta lex non loquitur de solemnitate in hoc contractu requisita, & conditionibus illius, sed de exactione, & repetitione illius, quod longe diversum est. Farcot, inquam, cum dos repetenda est, debere repeti, ubi vit domicilium habet, non ubi dotis contractus celebratus est, quia bona vit obligata sunt doti solvenda: at contractus secundum leges loci, in quo celebratus est, iudicari debet: & ita in iure nostri regni videtur decisum, lib. 2. tit. 1. §. 4. ibi, eala costumbre de aquella tierra desque se casamiento, debe valer quanto en las dotes, en las arras, & ganancias, que se fieren, en lo de aquel lugar, de se cambian, & ita tenet, & optime probat Salas disp. 16. de leg. §. 4. num. 46. cum sequor. Lopez in supradicta. l. Simancas de catholica, in sit. tit. 9. num. 143. Basilius de Leon. lib. 3. de marrim. cap. 7. n. 22.

5 Dixi, ad standum contractui te conveniri posse, ubi contractus celebratus est, quia foris forum illius ex supradictis legibus: & l. omnes obligationem ff. de iudic. & tradit alios referens Salas num. 45. Excipi tamen debet nisi ex voluntate contrahentium, & natura contractus executio in alium locum designata sit: quod contingit cum incolae alicuius loci cum advena contrahit, quem scit statim discessurum, tunc enim non potest advena conveniri in loco, ubi contractus est celebratus, sed ubi habet domicilium, quia ibi intendit se solvendo obligare, ex l. contraxisse ff. de oblig. & act. ibi, contraxisse vult qui in loco intelligitur, in quo vit solueret, si obligavit, alias durum esset, quotquot locis quis navigans aut iter faciens delatus est, tot locis se defendere, ut dicitur in l. si heres absens. 19. §. proinde de iudic. Et hac ratione dicimus contractum dotalem repetendum esse in loco, ubi vit habet domicilium, quia ex natura talis contractus, & ex voluntate contrahentium ille locus solutorio designatus est. Aliquis huic doctrinae limitationes adhibet Martienzo lib. 5. recopil. tit. 9. lib. 2. glossa. 1. de num. 71. quae omnia videnda sunt, quia optime hanc materiam, & supradictam legem explicant.

6 Quatio conveniunt Doctores te teneri legibus loci, qua transeis, si illae leges obligent simul, ubi ipse habes domicilium: sic Sanchez de marrim. lib. 3. disp. 18. num. 3. & 24. & lib. 4. in Decalog. cap. 12. num. 21. Salas disp. 14. §. 4. num. 40. Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 14. num. 15. Bonacia disp. 1. quae 1. p. 6. num. 52. & contrarium dicere reputant absurdum. Ratio, quia iure communi per consuetudinem introducto, lex propria tui domicilij, vel lex illius loci, ubi resides, te obligat, quod certe equum esse videtur, cum ex hac obligatione non grauearis amplius, quam si in tuo proprio domicilio eritites. Quamvis contra teneat Ioan. Sanchez in select. disp. 14. num. 32. ad fin.

7 Quinto conveniunt DD. si leges latae sunt in bonum illius loci, qua transeis, te obligatum esse illas servare: ut

tant leges prohibentes, ne aliqua merces ex oppido extrahatur, ne peregrini ultra tot dies commoretur, quia aliter populus defendi non potest: & ita tradit plures referens Sanchez lib. 3. de matr. disp. 18. n. 14. & lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 36. lib. 3. de matr. disp. 18. n. 14. & lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 36. Salas sect. 4. num. 54. Bonacina disp. 1. quaest. 1. p. 6. n. 53. Suar. lib. 3. de leg. cap. 32. n. 8. Quapropter in iure nostri regni, eadem incolis, & forensibus praescribuntur, vt constat ex l. 12. tit. 12. lib. 1. noui compilat. & l. 12. tit. 10. lib. 5. & l. 5. tit. 18. lib. 6.

8. Sexto ferè omnes conveniunt te obligatum esse servare leges oppidi, qua transit, si leges sint iuris communis, & vbiq; obligantes, etiam si in loco tui domicilij vigorem non habeant ex contraria consuetudine. Ratio videtur manifesta quia tu subiectus es illarum legislatori, neque habes aliquam causam te excusantem ab illius obedientia: siquidem consuetudo tui oppidi, quae te excusabat, non excedit territorium, non enim facit privilegium personale, sed locale; sic Henric. lib. 9. de Missa, cap. 25. n. 2. Nauarr. cap. 23. num. 120. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 11. num. 39. mutans sententiam, quam docuerat lib. 3. de matr. disp. 18. num. 7. Sayt. clauis regni, lib. 3. cap. 4. num. 15. dicit. Salas de leg. disp. 14. sect. 4. circa fin. Bonacina disp. 1. quaest. 1. p. 6. num. 53. Suar. tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 14. n. 7. & 18. Ex quo inferitur Castellani transuentem per Iulianiam non posse veici diei Sabbati animalium interstinis, sicut in Castell. a qua iure communi obligatur abstinere, & solum ex consuetudine Castellae excusabatur. Et idem est de incolis illorum locorum, in quibus non incipit quadragesimale ieiunium à quarta Cinerum, qui si transent illac, vbi ieiunium servatur, tenentur ieiunare, sic supra dicit DD. quoniam contra tenet Sanchez in loco allegato de matr. cum Palacios 4. dist. 15. disp. 8. post. 6. concl. fol. 126. vers. et verb. & Petr. de Ledelm. de matr. quaest. 45. ar. 5. p. 3. dub. vlt.

9. Sed obijcies hinc sequi ieiunia, & festa, & quilibet alias leges latas ab Episcopo, in cuius diocesi commoraris, vel à tuo Principe, te obligare transeuntem per totam diocesim, etiam si in loco, vbi domicilium habes, vigorem non habeant?

Respondeo, si latae sunt generaliter pro tota diocesi, idem esse dicendum, ac diximus de legibus iure communi latis, obligare, inquam, omnes diocesanos, dum sunt in diocesi, neque posse excusari, nisi ob contrariam consuetudinem: quia non excedit terminos alicuius oppidi, extra illud non excusabit. At si leges non sint latae pro tota diocesi, sed pro aliqua ciuitate; tunc qui dicunt non teneri peregrinos legibus municipalibus illius loci, qua transunt, consequenter de his legibus dicendum est: quia non ad omnes subditos, sed ad subditos in illo loco feruntur. His ergo positis,

10. Prima sententia docet extra supradictos casus te deobligatum esse legibus loci, qua transis, seu in quo maiori anni parte resideat non vis, sic Sanchez plures referens lib. 3. de matr. disp. 18. num. 6. & lib. 1. in Decal. cap. 12. num. 38. Sayt. in clauis reg. lib. 3. cap. 4. n. 1. Lessius lib. 4. de inst. cap. 2. dub. 7. n. 49. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 30. quaest. vlt. Toler. lib. 6. sum. cap. 5. num. vlt. Bonacina disp. 1. de leg. quaest. 1. p. 6. num. 36. Ioan. Sanchez disp. 54. sect. 2. n. 21. vbi innumerose refert. Moneatur, quia nullus sit alteri subditus, vt obligari, & puniri possit, nisi ratione originis, domicilij, vel delicti, vt multis comprobat Farinac. lib. 1. sua praxi, quaest. 7. à n. 1. Sed domicilium; aut quasi domicilium, non acquiritur ex eo, quod minor parte anni alicubi commoretis. Ergo non habes fundamentum, quo obligerit legibus loci qua transit. Secundo Episcopus, vt illius loci, qua transit, neque te potest coniungere matrimonio, neque in votis dispensare, neque alios fauores conferre, praeter sacramentum poenitentiae, & Eucharistiae, ex tacita tui Episcopi concessione. Ergo neque potest tuis legibus te alligare. Tertio adducitur à Sanchez decretum Leonis VIII. vulgo IX. in epist. aduersus Michaelen Imperator. Constantinop. cap. 28. vbi statuit, vt vniuersique iuxta iura suae Ecclesiae celebret. Ergo non teneris loci consuetudinibus te conformare. Quarto probant ex August. relato in cap. illa, dist. 12. ibi. Alia, qua per loca terrarum, regionisque varian- tur, sicut est, quod alij ieiunant Sabbato, alij non, totum hoc genus rerum liberae habet obseruationes, vbi glossa ait, verbo i- terum, quod liberum est Sabbato ieiunare, quantum ad extra- neos, non quantum ad illos, vbi consuetudo seruata est. Quinto adducuntur l. haec abiens ff. de iud. vbi probatur viatores non sortiri forum loci, qua transeunt. Sexto probant ex eo, quod qui transit ad breui tempore diuertit ad locum, non dicitur mota- liter in eo esse, l. quae situm, 7. 6. ff. de leg. 3. ibi. rebus, qua in fundo sunt, legatus, non accedunt, qua casu illic fuerunt, & l. si ita, 8. 6. ff. de off. iud. ibi. nec quod casu ibi sit magis esse te- gatium, & cap. nam & ego, de verb. signif. vbi statim obiens, quasi non natus reputatur, & eadem de causa dicitur Salomon vnguentus, quia frater veterinus quem habuit, cito obit. & in cap. ad vltimam, de regul. iur. dicitur, qui triano tantum fuit habitu regulari indutus, non dicitur habitum induisse; quia,

vt ait ibi glossa, non dicitur factum, quod non durat: quam glossam sequitur Felinus cap. in praesentia, num. 32. de probat. sic non debet dici praesens esse alicubi, vbi non longo tempore commoratis. Septimo probant ex text. in cap. à nobis, de sent. excom. vbi Clemens III. dicit sententiam latam generaliter, in eos qui furum fecerint, tantum comprehendere subditos. Ergo tantum comprehendit subditos incolas, non extraneos. Ergo extranei subditi non sunt. Denique variis exemplis nituntur hanc sententiam confirmare. Primum infideles transeuntes per Hispaniam non obligantur legibus illius. Secundo regulares non obligantur legibus territorij, neque nouitij legibus professotum; neque Graeci Sacerdotes legibus Latinoorum. Ergo extranei non subduntur legibus loci, qua transeunt.

11. Nihilominus est supradicta sententia probabilis sit, probabilior multo mihi visa est affirmans peregrinum, & forensem teneri legibus loci, qua transit, dum tempore obligatio- nis in illo persistit; sic Nauarr. cap. 13. num. 120. Couarr. 4. var. cap. 20. num. 8. Henriquez lib. 7. de indulg. cap. 13. n. 8. Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. de festis, c. 14. & lib. 3. de leg. c. 33. n. 33. Salas disp. 16. de leg. sect. 4. concl. 4. Gabr. Valquez 3. tom. in 3. p. disp. 84. cap. 2. num. 28. Basilius de Leon. lib. 5. cap. 7. §. 1. num. 6. consentit ex parte Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 7. numer. 47. quatenus affirmat, si peregrinus, & forensis aliquibus diebus in loco commoretur, quia ille locus terminus est vitae, teneri legibus: & alij plures relati à Sanchez illa disp. 18. de matrimonio numer. 4. Salas, Suarez locis citatis.

Ratio praecipua est, quia conformari consuetudinibus, & legibus loci omnes, qui ibi resident, dum praesentes sunt, & commorantur, conuenientissimum est, & recte gubernationi, paci, & tranquillitati reipublicae maxime necessarium: vt colligitur ex August. cap. quis quis, dist. 4. t. cap. in noua, 1. 6. §. 7. cap. illa, dist. 12. c. qua contra, dist. 8. Ergo debemus agnoscere esse aliquem in rerum natura, qui omnibus obligationem inducat ad seruandam hanc vniformitatem; sed nullus alius esse potest aptior praeter gubernatorem illius loci: ergo gubernator illius loci ex iure ipso naturali, vel gentium potestatem habet obligandi omnes in suo territorio existentes, dum ibi existunt, & confirmo: si ibi peregrinus delinquat contra ius naturale, omnes conueniunt puniri à superiore illius loci posse; sed hoc nulla alia ratione contingit, nisi quia ad rectam reipublicae gubernationem conuenit, vt vbi quis commisit delictum, ibi puniatur, & malum exemplum punitione reparetur, sed aequè ad rectam gubernationem conuenit, ne mala exempla praebantur, neque alius occasio transgrediendi leges praebatur. Ergo iustum est quemlibet obligari, se legibus illius loci conformare. Secundo si leges illius oppidi, qua transit peregrinus, in suo territorio obligant, admittunt communiter DD. etiam contrariae sententiae inducere obligationem, quia ex iure communi, consuetudine, & praxi recepta, leges eam vim habent sed haec consuetudo, & praxis recepta ostendi non potest, specialiter in hoc casu. Ergo dicendum est, esse generalem ad omnes leges, siue communes sint in oppido peregrini, siue diuersae. Et confirmo: quia in praesenti casu, ideo obligatur peregrinus, quia ex peregrinatione non grauaatur, siquidem ex- istens in suo territorio obligatus maneret: at ex eo, quod forensis legibus territorij, qua transit, obligatur, non inde graua- tur: nam grauaamen, quod illi imponitur, obligatione illarum legum, compensatur aliunde exemptione legum sui territorij. Ergo. Tertio si cum leges sunt communes domicilio, & loco, qua transit, dicit te esse obligatum ex iure communi non scripto, etiam ex iure communi scripto manes obligatus seruare omnes ferè leges, & consuetudines loci, qua transit, etiam si in tuo loco non obligent: nam vniuersalis est lex lata in c. fin. de ferijs, obligans celebrare omnes festiuitates, quas Episcopus cum suo clero in sua diocesi celebrandas statuerit, & c. 2. de obseru. ieiun. §. item, dicitur in festiuitatibus, & abstinentijs seruandam esse consuetudinem regionis; sed in his capitulis nihil distinguitur inter viatores, & incolas. Ergo omnes manent comprehensi. Ergo ex iure communi adstringuntur viatores loci consuetudinibus. Quarto cum lex municipalis est de re ad bonum illius loci pertinente, conueniunt Doctores, vt diximus, viatorem obligatum illa esse; sed omnis lex ad bonum reipublicae, & in utilitatem illius refertur. Ergo ex hac parte omnis lex habebit vim obligandi viatores. Et confirmo, pax, tranquillitas, & bonum exemplum, non minus bonum est reipublicae quam abundantia tritici, & copia armorum, & cuiusvis mercis. Sed quando lex prohibet, ne arma, vel triticum extra- hatur, neque aliunde merces in reipublicam inuehantur, obli- gantur forenses ob bonum reipublicae. Ergo etiam obligari de- bent omnibus legibus, ex quibus perturbari pax, & tranquillitas potest. Tandem probari potest ex supradictis locis Augusti, qua referuntur à sanctio, Basilio, Salas, Suar. & alijs supra, spe- cialiter ex cap. qua contra, dist. 8. ibi qua contra mores homi- num sunt flagitia, pro morum diuersitate sunt vitanda, vt pat- tum inter se gentis, aut ciuitatis, consuetudine vel lege firmat- tum, nulla cuius, aut peregrini libidine violatur; turpis enim est omnis pars, vniuerso suo non conueniens. Vbi expendenda est ratio

DE CASTRO PALAZO

ratio, quare Aug. obligat viatores se conformare consuetudini loci, qua transeunt, quia scilicet turpe est partem non se conformare vniuerso.

12. Aliqui Doctores hanc nostram sententiam limitant, vt solus transitus non sufficiat ad obligationem hanc indicendam, sed necessarium requirit, vt aliquo modo ibi viator sit, sic Emanuel Saa verbo *Missæ audire*, num. 6. Lessius *suprà* n. 47. Nauarr. *cap. 13, n. 5.* Ludouicus Lopez *1 part. instr. cap. 52. §. nec peccant.* Sed reprobanda est limitatio, & dicendum obligatos esse viatores, ac sunt incola illius loci, & tenent legibus municipalibus, si inisset tempus adimplendi illas: & ita docet Salas num. 50. Balthus n. 14. Suarez n. 22. & *seqq.* cum enim ratione accessus, & habitationis pars sint illius reipublicæ, subditi sunt gubernatori illius. Ex quo fit, si ibi seruetur ieiunium, te non posse carnis vesci; quia abstinentia carnis toto tempore diei obligat. Idem est de Missæ auditione, si inisset tempus audiendi, eo quod non sit alia Missa, præter vnam, quæ dicitur, cum tu ibi commoraris, tenentis sanè illam audite, sicut & incola tenentur. Hoc autem intelligendum est, casu, quo ibi maneat tempore proportionato audiendi sacrum, scilicet toto mane, vel magna illius parte: si enim solum ad cibos fumendos ibi perstitit, non videtur obligatio tibi esse imponenda, quia non est tempus proportionatum ad satisfaciendum huic obligationi, sic Salas *disp. 14. de legibus, sect. 4. num. 50. versic. & quamvis.* At si sunt plates Mille dicende, & tu antequam finiatur, vis à loco, in quo est festum, exire, existimo te non esse obligatum audire sacrum, quia dum ades illi loco, non te instat obligatio audiendi sacrum, potes enim illam, v' quæ ad vltimam Missam differre: exiens verò iam exieris ab obligatione, quæ ratione existentie in loco te tenebat; ergo nunquam censeri obligatus: sic docet Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 18. num. 21.* Lessius *lib. 4. c. 2. d. 8. num. 56.* & Salas *num. 50.* vbi bene aduertunt, si dum es in illo loco, non celebratur sacrum, te non teneri illic expectare, quia dum ades ibi, non te instat obligatio ob defectum Missæ, expectare autem nulla lege videris adstringi. Ergo & de his postea latius dicemus.

13. Supradicta nostra sententia de obligatione viatorum legibus municipalibus, quæ transeunt, non solum intelligenda est de obligatione directiua, sed etiam penali. Quapropter si poena transgredientibus legem imponatur, afficiuntur illa aduenæ transgressores: tamen quia committunt delictum in illa transgressione, vt supponimus; ergo debent ibi puniri: nam ratione delicti superioris illius loci subdantur *l. 15. tit. 1. part. 1. & ex authent. qua in prouincia, C. vbi de crimine agi oportet, & c. fin. de foro comper.* & aliis pluribus relatis à Farinac. *lib. 1. praxi, quest. 7. n. 1.* Tamen etiam quæ vt præceptiua, sine coactiua inefficax esset, & inutilis: & ita tenet alios referens Salas *disp. 14. de legibus, sect. 4. n. 49.* Basilius *n. 15.* Suarez *lib. 3. de legib. cap. 33. num. 9.*

14. Secundo intelligenda est doctrina, etiam si lex pro solis aduenæ, & peregrinis statuitur, potest enim casus contingere, vt ad bonum commune reipublicæ spectet à iqua statueri solis peregrinis conuenientia, vt quod non deferant arma, neque in tali loco recipiantur, neque sint tot dies, quin se manifestent, & alia huiusmodi. Ergo concedenda est in republica potestas ad hanc obligationem inducendam: aliàs non posset reipublica se incolorem, & indemnem seruire: & ita tenet contra Innocent. *cap. à nobis, el. 1. de sentent. excommuni.* Pannormit. & Hostiens. *ibi.* Syluester *excommunicatio 2. num. 5.* Suarez *de legibus, lib. 3. c. 33. n. 7.* Salas *disp. 14. sect. 4. n. 49.*

15. Ex supradictis fit, si lata sit excommunicatio aduersus ferentes arma, vel colloquentes cum monialibus sine licentia, vel furam committentes, incurritur excommunicatio. Sed hoc limitant Doctores, quando excommunicatio lata est per statutum, non per sententiam generalem: & sic explicant *cap. à nobis, el. 1. de sentent. excommuni.* vbi interrogatus Pontifex, an forenses comprehenderentur in excommunicatione lata ab Episcopo pro futuris delictis: respondit solos subditos comprehendi: dicunt ergo forenses esse exclusos, & ita tenet cum communi sententia Suar. *de legib. cap. 33. num. 9. & 10.* reddique rationem, quare statutum, & lex comprehendat forenses, non verò præceptum, quia leges afficiunt personas ratione territorij: at præceptum directè ad ipsas personas fertur: & cum aduenæ solum ratione territorij sint subditi, solum legibus, & statutis videntur posse ligari. Deinde, quia leges, vt potest firmæ & stabiles, sunt magis cognoscibiles: at præcepta non tam facile cognosci possunt; merito ergo viatores ab obseruatione præceptorum debent esse immunes, obligari tamen legum obseruatione. Ego verò dicendum existimo, posse forenses præceptis specialibus ligari, quia recte gubernationi reipublicæ hæc potestas videtur conuenientissima. Item omnes rationes, quæ militent de legum obligatione, procedunt in præceptis: præcipua enim ratio, ob quam legum obligatio tenet forenses, est conformatio cum reliquis de republica, quæ in præceptis æquanimiter procedit, neque illa distinctio legis à præcepto, scilicet legem ferri ad personas pro territorio, præceptum verò ad solas personas,

est facta fundata. Lex enim, & præceptum extra territorium operari non potest. Quocirca non solum posse, sed de facto obligat peregrinos sententiis generaliter latis, credo probabilius cum glossa in *supradictio cap. à nobis, de sentent. excommuni.* Et licet Pontifex expressè non dixerit aduenas ibi comprehendendi: non tamen illos exclusos, sed quasi rem indecisam reliquit, vt locus daretur opinionibus; qui enim dicunt aduenas comprehendendi, debent explicare, voluisse Pontificem comprehendere omnes subditos tam incolas, quam aduenas, dum ibi existunt, secus dum terminos territorij egrediuntur, iuxta *cap. vt animarum, de consuet. in 6.* Adde supradictum caput à nobis posse optimè, non de sententia, sed de statuto, & lege explicari, quia eodem modo procedit, ac *vt animarum, de consuet. in 6.* quod esse statutum omnes affirmant: sic aliqui relati à Salas *n. 44.* Basilius de Leon *n. 19. & 30.*

16. Neque hinc fit delinquentem in suo oppido, si aliò accedat, posse ibi puniri, vt inuit aduersus communem sententiam Basilius de Leon *num. 15.* leui fundamentum adductus. Mouetur, inquam, quia viator est subditus iudici illius loci, sicut & legibus illius: quod probat ex *Clement. Pastoralis, de sentent. & re iudic. ibi, quod si puniitio criminis intra districtum imperiale commissis, ad imperatorem forsitan pertinuisse asseratur, verum est quidem, si in eodem districtu fuisse inueniens delinquentem, vel ad illum de more remissus, quare si eius fines transgrediat, cessat potestas.* Ex quo ipse Basilius infert: ergo delictum causa non est iudicandi delinquentem iudici aliàs vbiuicque delinquentis manet, subditus esset. Et confirmat suam sententiam ex praxi casu Romæ, quæ alibi delinquentes puniit.

Verum hoc fundamentum leue est, vt à communi sententia recedamus: viatores enim subditi non sunt iudici loci, qua transeunt, nisi in his, quæ ad rectam illius reipublicæ gubernationem pertinet, quia cum domicilium non acquiritur, neque ibi delictum commiserint, non habent fundamentum integre subiectionis. Quapropter tota illorum subiectione est indirecta, & quatenus ad bonum commune reipublicæ pertinet: at ad bonum illius reipublicæ, qua transeunt, non pertinet punire delicta à bi commissa, sed ad summum temeritate delinquentem puniendum. Ergo, Et *Clement. Pastoralis,* hoc ipsum probat, liquidè dicit, non posse iudicem ordinarium punire delinquentem existentem extra territorium suæ iurisdictionis, nisi fuerit illi de more remissus. Supponit ergo Pontifex de more, & consuetudine esse remittendum: mos autem cum non sit specialis alicuius prouincie, sed generalis, constituit ius, atque ad eum de iure est remittendum. Ergo non potest iudex illius loci illum punire. Adde, etiam delictum integra causa fit subiectionis, non obinde sequitur existens extra territorium posse à iudice puniri, quia constituit subiectionem, dum est intra territorium, secus extra: sicut domicilium, quod est causa integra constituit subiectionem, non dat actionem iudici extra territorium. Quod autem alibi delinquens non possit à iudice loci illius, qua transit, puniri tenet innumeros relictos, & la è præbans Farinacius *lib. 1. praxi, q. 7. à num. 6. & 7.* & ad consuetudinem Romanam optimè respondet *num. 12.* id prouenire ex præcepti consuetudine, cum enim à principio fuerit totius orbis domina, & ratione sui imperij omnes ei subiectentur, delinquentes à ibi ipsa puniebatur & hæc potestas ex tacita aliorum Principum concessione videtur protogata, Aduertit tamen Farinacius non poena ordinariæ, sed extraordinariæ puniri. Putes limitationes huius doctrinæ adducit Farinacius de fure repto cum re furata, de hæretico, de bannito, de assassino, de latrone publico. Sed si bene expendantur, hæc non sunt limitationes, sed declarationes regulæ generalis, quæ dicit ratione delicti delinquentem subiectum esse iudici illius loci, in quo delictum commissum est: nam omnes hi censentur continuare delictum, & illud, quasi de nouo, vbi resident, præstare.

17. Restat argumentis num. 10. allatis satisficere: Ad primum dico, domicilium, & delictum reddere subditum ad inquisitionem de delicto faciendam: de quo loquitur cum communi sententia Farinacius. at ad obligationem ei imponendam sufficit habitatio, quæ si permanens sit, permanenti obligationem inducit, secus transeunt. Quæ solutio necessaria est ab aduersariis admittenda in legibus, & præceptis, quæ ob bonum commune reipublicæ feruntur, quæque diximus attingere peregrinos, & in legibus, quæ æquanimiter obligant in loco peregrinationis, ac in domicilio. Nam ex aliquo capite oriuntur tunc subiectio, & obligatio, non ex domicilio, neque ex delicto. Ergo ex transeunt obligatione. Ergo habitatio transiens sufficit ad subiectionem constituendam in his quæ ad bonum commune reipublicæ pertinent.

Ad secundum facilis esset solutio, si concederemus, posse Episcopum loci, qua transeunt peregrini, illos matrimonio iungere, & in otis dispensare: vt cum aliis defendit Basilius de Leon *lib. 5. de matrim. cap. 1. num. 4.* Sed dato non posse, non inde inferunt, non habere iurisdictionem ad subiectionem viatores suis legibus, sicut & habet ad subiectionem legibus bonum reipublicæ spectantibus; quia ad hanc iurisdictionem solum

solum requiritur habitatio, etsi modica sit: et ad dispensandum, & coniugendum matrimonio, & reliqua alia sacramenta, que necessaria non sunt, potest non solum habitatio pro maiori anni parte, sed que vetè domicilium constituat, requiri, vt docet Azor tom. 1. lib. 5. cap. 11. quest. 3. sine, & alij multi relati à Sanchez illa disp. 18. Adde non ex eo, quod Episcopus non possit ordinare, & confirmare viatorem, nisi residentem maiori anni parte, inferatur non posse suis legibus illum adstringere. Ergo neque etiam ex eo, quod non possit coniungere matrimonio, vel dispensare, debet inferri: ex vna enim potestate ad aliam non procedit argumentum. Et ratio omnium est, quia potestas obligandi legibus, ex bono reipublice, in qua forensis moratur, procedit: quod bonum cum adsit, etiam si breuissimo tempore ibi exsistat, tribuit potestatem: at potestas dispensandi, & coniugendi matrimonio, respicit bonum ipsorum, qui coniugendi, vel dispensandi sunt. Non ergo est mitum si remittatur ad proprium pastorem, & denegatur facultas ei, qui ex accidenti solum proprius est.

Ad tertiam tamen quælibet Sacerdotum debere celebrare iuxta morem suæ patrie, vel in azyño, vel in fermentato, quia ita specialiter est constitutum in Conc. Florentino sub Eugenio IV, ob seruandam pacem, & vniõnem inter Ecclesiam Græcam, & Latinam: ex quo ad alios casus non licet arguere; imò potius ex hoc priuilegio licet inferre obligandos esse viatores: et conformare legibus loci, qua transeunt, in omnibus illis casibus, in quibus non est speciale priuilegium, quia exceptio firmat regulam in contrarium.

Ad quartam reijcienda est expositio glossæ dicentis, ieiunare in Sabbato, vel non ieiunare, liberam esse obseruationem quæuis ad extraneos, non quantum ad incolam; omnes enim adstringuntur, vt diximus, consuetudine recepta: quare expositio legitima est. S. August. ait, hoc genus rerum liberam habere obseruationem, quia liberam est cuiuslibet populo sine præiudicio fidei, quod in hac parte liberetur, obseruare; cum tamen in rebus ad fidem pertinentibus hæc libera obseruatio admitti non debet.

Ad quintam iam constat, qua ratione viatores non solentur foris loci, qua transeunt, vt possint, inquam, ibi conuocari, quando scilicet ex mutuo consensu, vel ex natura contractus, alibi est destinata solutio; secus verò dicendum de solennitatibus, & conditionibus in contractu requisitis.

Ad sextam concedo legato fundus, non legari seruos, qui ibi casu sunt; non enim ex eo, quod quis habet dominium alienum rei, debet illud habere omnium illarum rerum, quæ ibi existunt: at vbiusque aliquis sit, necessario iurisdictioni illius reipublice subijci debet, quia ad rectam gubernationem hæc subiectio pertinet. Ea autem, quæ adducuntur ex cap. nam & ego, &c. ad vltimam, de regularibus optimè explicat Suarez illo cap. 14. de relig. num. 25. ait enim cum Panormit. dici per quandam metaphoram, & impropriam non durate ea quæ breui tempore durant, non quia vetè non darent: sicut Pontifex vnus dicit, vetè Pontifex est, & inter Pontifices numeratur, etsi postea repurari per metaphoram quando, ac si non fuisset: cum autem in præsentem non de metaphoram, & improprie, sed de veritate sermo sit, an scilicet legibus loci teneatur, qui vetè in loco existit, dum ibi permanet, non debemus ad metaphoram recurrere. Adde Salomonem dici vnguentum, quia ex legitimo matrimonio vnguentus fuit, textus verò in cap. ad vltimam de regularibus, fundabatur in præsumptione, præsumebatur enim monachum illum non consensisse in professione, cum tam breui tempore ab ea resisteret: at obligatio viatorum ad leges loci, qua transeunt, non in præsumptione animi, sed in vera loci existentia, & vniõne cum reliquis de ciuitate fundatur.

Ad septimum iam diximus, non solum statutum, sed etiam sententiam comprehendere subditos intra territorium existentes, secus extra morantes.

Ad vltimum nego infideles non teneri legibus politicis loci, qua transeunt; concedo tamen non teneri legibus Ecclesiasticis, quia sunt extra iurisdictionem Ecclesie. Idem dicendum est de regularibus, quia exempti sunt, non obligati legibus, cuiuslibet Episcopatus, nisi in casibus à iure expressis: at obligantur legibus illius conuentus, qua transeunt. Nouitij autem, etsi non teneantur legibus professorum, quia non sunt professi: at adstringuntur aliquibus legibus propriis, quæ statum suum respiciunt. De sacerdotibus celebrantibus more suæ patrie iam dictum est.

§. IV.

Quid dicendum de vagis: qua ratione legibus teneantur.

- 1 Quis sit vagus.
- 2 Hos non teneri legibus loci qua transeunt, sicut peregrini, & forenses, affirmant aliqui.
- 3 Reprobatur hæc sententia.

- 4 Vagus puniri potest à iudice loci, in quo capitur, tamen si forensis non possit.
- 5 Probabilius est remittendum esse ad locum delicti, si petatur à iudice illius.

**V**agus est, qui nullibi habet certam sedem; quare qui alibi habuit domicilium, & ab illo exiit animo non redeundi, sed alibi affluendi, vagus est, quouique domicilium figat, sic Thom. Sanchez lib. 3. de matr. cap. 25. à n. 1. usque ad 4. & lib. 1. in Decal. cap. 12. num. 23. sine, & multis allegatis Farinac. lib. 1. praxis quest. 7. n. 1.

2 De his ergo vagis sentit Leonardus Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 7. num. 49. & Sayrus in clauis regie lib. 3. cap. 4. num. 8. idem esse dicendum ac de peregrinis, & viatoribus, cum affluunt peregrinos & viatores nullis legibus oppidi, qua transeunt, attingi; & de vagis cenetur esse idem dicendum? & ita tenet Ioan. Sanch. in suis select. disp. 54. n. 34.

3 At merito ab omnibus alijs Doctoribus rejicitur hæc sententia, etiam ab alijs qui affirmant peregrinos, & forenses exemptos esse à legibus municipalibus, & Episcopalibus. Nam in vagis est specialis ratio cum enim nullibi habeant domicilium, debent illud sortiri ex præsentanea habitatione, alijs omnibus legibus particularibus essent exempti, quod à recta eorum gubernatione distat: & ita tenet Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 18. num. 15. & in Decalog. lib. 1. cap. 12. n. 23. Azor tom. 1. lib. 5. cap. 11. quest. 13. Salas disp. 24. de leg. sect. 4. num. 55. Bonac. disp. 1. de leg. quest. 1 punct. 6. num. 54. Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 14. num. 20. Ball. de Leon. lib. 5. de matr. c. 7. Lorca 1. 2. tom. 2. disp. 25. in fin. in tract. de leg.

4 Ex quo inferatur vagum puniri posse à iudice loci, in quo capitur, de delicto alibi commissio: sic probat textus cum glossa in lib. 1. C. ubi de criminib. ubi oportet, quam ait Farinac. lib. 1. praxis quest. 7. num. 13. esse communiter receptam.

5 Difficultas autem est, an debeat remitti ad iudicem, vbi commisit delictum, si petatur? in qua re Farinac. lib. 1. praxis quest. 7. alios referens, docet, non esse remittendum necessario, si iurisdictiones sint sub diuersis Principibus, secus si sub vno Principe. Nam quando sunt sub diuersis Principibus, verè iudex capiendi vagabundum habet iurisdictionem in illum ex præsentanea habitatione; sicut si ibi figeret domicilium. At quando sub eodem Principe versatur iurisdictione, cenetur Princeps nolle delinquentem alibi puniri, nisi in loco, vbi commisit delictum. Cæterum probabilius credo semper delinquentem remittendum esse ad locum delicti, vt ibi puniatur, si à iudice loci illius petatur remissio; quia iudici illius loci ratione delicti subiectus est: neque videtur subiectus iudici loci, qua transit, in punitione delictorum, quæ alibi sunt commissa: nisi ad summum in defectum iudicis, vbi delictum commissum est, quia punitio est ob exemplum, & reparationem scandali datur: quod cum datum solum sit, vbi delictum commissum est, ibi est puniendum, quæ ratio probat, siue domicilium acquiratur, siue non, sic Decian. in matrim. tom. 1. lib. 4. cap. 13. num. 17. & seq. Couart. pract. qq. c. 11. n. 7. Iul. Clar. lib. 3. recept. sent. in pract. crim. quest. 39. n. 7. consentit Azor tom. 1. lib. 4. c. 11. q. 3. sine.

§. V.

An peregrinus, & forensis teneatur legibus suæ patrie, quando alibi est, vbi non vigent.

- 1 Nullus adstringitur legibus extra territorium.
- 2 Quid ex eo inferatur.
- 3 Si animo non seruandi legem à territorio exeat, negant plures te deobligatum manere.
- 4 Probabilius est oppositum, licet amque esse talem fugam.
- 5 Satisfit argum. num. 3. adductis.
- 6 Si in tua parochia sit dies festiuis, & extra non; non teneris Missam audire, si non dicitur, dum ibi assistis, neque illam expectare.
- 7 Si tamen dicuntur plures Missæ à mane, usque ad 12. non potes hora octaua exire Missa non audita, secundum satis probabilem sententiam.
- 8 Probabilius censo oppositum.
- 9 Quid dicendum de ieiunio? affirmant plures te posse ieiunium sumere manè vbi ieiunium obligat, si nocte peruenurus es ad locum, in quo nulla est obligatio.
- 10 Probabilius censo oppositum.
- 11 Cum manè deobligatus fuisti à ieiunio, non teneris vespere illud seruare, defenditur, vt probabilius.
- 12 Si iam impleuisti præceptum communionis, ieiunij, & festi in loco tui domicilij, non teneris illud seruare, secluso scandalo, cum peruenisti ad locum, vbi tunc viget.
- 13 Leges respicientes delictum in territorio commissum ligant subditum extra existentem, quidquid immerito contradicat Bafil. de Leon.
- 14 Beneficiarij absentes absque legitima causa ligantur excommunicatione lata aduersus absentes.